





Q. D. B. P.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

POTU AQUÆ SALUBRI ET NOXIO,

QUAM

IN INCLYTA REGIA VIADRINA
EX INDULTU GRATIOSISSIMÆ
FACULTATIS MEDICÆ

PRÆSIDE

DN. JOH. GEORGIO à BERGEN,

Med. Doctore & P. P. Ord.

h. t. FACULTATIS MEDICÆ DECANO

speſtabili

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores & Privilegia Do-
ctoralia rite & legitime conſequendi
Publicæ Philiatorum diſquiſitioni exponit

AUTHOR.

JOHANNES CASPAR Gemeinhardt.

Laub. Hexap.

L. H. Q. C. d. 14. April. Anno M DCC XVIII.

Francofurti ad Viadrum, Litteris TOBLÆ SCHWARTZII.

INSTITUTIONES MEDICAE

POTU AQUAE
SALUBRE ET
NOXIO

IN VILLA REGIA VINDOB.
EX IMPRINT. GRATIANI
P. M. 1714

DR. JOH. GEORGIO BERGHO

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

AUTHOR

JOHANNES CASPAR

PHYSICUS

PHYSICUS





A. & Ω.

Notissima & in sacris literis ab ipso Salvatore usurpata est paramia: Validis haud opus esse Medico, sed ægrotis, quæ quidem in se verissima est, siquidem partem Medicinæ curatricem, intellectam velis, quippe ad lectum tantummodo ejus datur praxis clinica.

Verum cum insuper & altera pars extet saluberrimæ artis, quæ Præservatricis est indepta nomen, itidem Medici officium ad sanos extenditur, ut hoc pacto validi non minus quam ægroti suspiciendum habeant Medicum.

Nec hoc impedit, quominus parti huic nobilissimæ & suus honor constet, quoniam æque ac altera eundem finem respicit, sanitatem nimirum, quam sibi quisque Medicus rationalis scopum præfigat oportet, tum præsentem, ut conservet, tum absentem & amissam, ut restauret pro virium facultate.

Conservare autem præsentem non minus arduum est, ac absentem restaurare, imo & aliquanto præstantius, cum celeberrimorum Medicinæ Antistitum effato Medicina diætetica præstantior sit pharmaceutica & chirurgica; si enim sola victus ratione citra pharmacum morbis medeamur; præstabit cum diæta potius curare, si fieri possit, quam cum pharmacis, qua nihil prius neq; efficax erit.

A

Hac



Hac ipsa namq; diæta præmunimur ab hoste irruente morbifico; quanto nunc præstat hostem e longinquo propellere, quam jugulo inhærentem arcere, vel intra mænia diffusum extrudere; tanto majus sine dubio erit emolumentum morbos, ne fiant, præcavere, quam factos debellare.

Sed ea Diæteticæ, quæ in victu & rebus non naturalibus ordinandis occupatur, est latitudo, ut non solum ad præcavendum statum morbosum faciat, sed & ipso præsentem faciat officium, & sic cum parte therapeutica concurrat absolute necessaria, quia hac neglecta tutissimorum medicamentorum usus inconueniens & inutilis evadere consuevit.

Quapropter, cum tantæ dignitatis, necessitatis ac utilitatis sit illius consideratio, placuit ex eadem potissimû Dissertationis nostræ Inauguralis thema depromere. Sistitur autem in illo rerum nonnaturalium complexu victus, tam cibi quam potus ratione, circa quem non solum a vulgo crassi quotidie errores, morborum plurimorum causæ, sed & ab ipsis prudentioris animi hominibus graves nonnunquam solœcismi committuntur.

Quum vero sat amplum istius consideratio aperiat campum, cujus ambitum paginæ nostræ vix capiunt, nec instituti nostri sit de victus ratione prolixum conscribere tractatum, quod ante multa secula & nunc quoq; nostra ætate alii præstare sategerunt, sufficiat circa *POTUS* rationem solummodo disquisitionem instituisse, speciatim circa *LIQVOREM AQVEVM*, inquirendo, qua ratione potui utilis sit hic humor, qua minus, quantum det, quantumve demat? *DEUS* vero adspiret cæptis nostris benignissime!

§. I.

§. I.

Alimentis indigere corpus nostrum, quibus nutriatur, & e quibus pro appositione aptas convenientesq; particulas desumat, nemo facile incicias ibit. Simul ac enim lucem adspexit tenellus infans de nutrimento illius cogitandum, ne illo destitutus perire necessum habeat. Consistit autem illud duplici forma, solida & liquida. Illam communiter ciborum nomine salutamus, quæ manducata & dentibus comminuta humoreq; salivali decenter subacta & permixta per viam regiam œsophagi leni pressione ad ventriculum, receptaculum commune, protruduntur: hæc vero potus vocantur, quæ, quoniam fluidiora, sponte sua exoris capacitate per prædictas vias proprio pondere transeunt, ad ventriculum. Neutro commode carere possumus, & licet exempla prostent nutritorum aliquandiu ex alterutro solum, ex paucis tamen nulla sit regula. Interim sine cibis diutius forsân, quam sine potu vivitur, cum hic præsentius & proximius humores restituat, fitisq; longe difficilius quam fames perferatur.

§. II.

Potus autem materiam requirit necessario liquidam, ejus substantia pro solidorum discontinuatione & meliori mixtione, quo magis homogœnea, eo convenientior est. Quantum vero hodie fert usus, ad tria potissimum capita commode potus refertur, scil. Vinum, Cerevisiam & Aquam. Licet enim fortassis aliquis spiritum vini aut frumenti, den Weinhesen und Kornbrandwein / nobis velit objicere, quorum immodico usu non pauci inconsideratiores se explere gaudent, ut nil gratius, nihilq; dulcius suis aquis vitæ, vel mortis potius, habeant, vix tamen cum ordinario

A 2

potu

ab hoste ir-
stem e lon-
m arcere,
majus sine
nt, præca-
s nonnan-
r non solum
sed & ipso
therapeuti-
eglecta tu-
eniens &
tis ac uti-
ocissimū
ere. Si-
mplexu
em non
am pluri-
ni homi-
titantur.
o aperi-
apiunt,
m con-
& nunc
ciat cir-
n infitu-
inquiren-
ua minus,
ero adipi-
§. I.

potu istæ in comparationem venire possunt, cum potius bellariorum aut oblectamenti loco ab helluonibus talismodi pessima consuetudine usurpentur. Si quoq; ad exterarum longeq; a nobis distitarum gentium consuetas incognitas nobis potiones provoces, easdem omnes, si rite pensita-veris, vel ad vini vel cerevisiæ vel aqvæ decoctæ classes referendas esse facile constabit.

§. III.

Quo vero intra nostrarum regionum fines limitesq; maneamus, Vinum in oris nostris frigidioris temperiei haud adeo copiosum tellus alma nobis suppeditat, ut eo pro ordinario potu omnes incolæ uti queant, quare generosum hoc potulentum ditioribus potius & nobilioribus relinquendum, quorum corpora roborat atq; ad omnes motus obeundos alacriora reddit, calorem motumq; sanguinis evidenter augendo & spirituum copiosorem proventum gignendo, unde & vulgo Poëtarum Caballus vocari sœvit, cum illius moderatus usus non minus facundiam quam ingenium, cui alias frigus nocet, suo calore mire excitet. In illis tamen regionibus, quibus major cœli clementia contigit, vinum coctius & copiosius profert calor solaris, ibiq; ordinarii potius potulenti titulum merebitur, ut in Hispania, Italia, Hungaria &c.

§. IV.

Quantum autem caremus vino, tantum & ultra abundamus Cerevisia, cujus nomen aliquibus idem ac Cereris vinum valere videtur, cuius nostrorum satis superq; nota, licet adeo variet, ut cuilibet urbi vel oppido peculiaris saporis, coloris aut consistentiæ & efficaciæ sit, non solum ob causam diversæ illius materiæ, hordei, tritici, avenæ, & variæ illorum proportionis, sed & ob variam atmosphæræ ipsius constitutionem. Locum inter inebriamina suum tuetur, sed sano sensu



sensu accepta commoda satis, uti nec minus utili grato-
que potui nostris imprimis Germanis plurima ex parte est,
id quod nec antiquos latuisse autumamus, qui similem
profus potum per *δύον* suum *κρηθίον*, *ζύθον*, &c. intelligi
volunt.

§. V.

Restat hinc tertium potulentorum genus, quod A-
QVA constituit, ubivis in toto terrarum orbe reperiunda,
& cuius libere ac sine sumptibus a natura concessa, ut vel
Iro pauperior ea gratis frui queat, excepto solummodo lo-
co sicco & arido, animantibus æq; ac plantis alimenta de-
negante, eremo. Et hæc potissimum inquisitionis nostræ sub-
jectum erit, ubi videbimus, an genuinus & laudabilis, an
vero noxius & rejiciendus existat potus? In omni vero po-
tu maximum requisitum est, ut sit fluidior, levis, tenuis, ut
facile labatur per vias a sapientissimo creatore ipsi assigna-
tas, in corpore scil. ut percoletur per excernicula hic illic in
corpore aptissime exstructa, ut misceatur cum aliis, ut hu-
mectet, non vero siccet, ne sola quidem potentia.

§. VI.

Inveniri autem hæc requisita in aqua æq; ac aliis li-
quoribus certum est, & ad oculos patet, imo fluidum esse,
κατ' ἐξοχὴν aquæ tribuitur, ut contradictio sit in adjecto
aquam solidam dicere, nisi vel congelatam glaciem, vel
mercuriũ currentem, vel salia, quæ soluta itidem fluida sunt,
coagulata intelligas. Hinc & pura datur & sincera, si sci-
licet particulas admixtas limosas, glutinosas, Æreas, terreas,
arenosas & alias opacitatem inducentes debita encheirisi fe-
pares. Porro gravitate specifica prædita est, qua alias aërem,
elementũ levius, & ignem, levissimum omnino vincit, centrũ,

petit, & sic cito per canales liberos, viasq; adapertas meare potest, unde per colatoria transiens minorem inibi respectu aliarum relinquit quantitatem fordium & sæcum excrementitiarum, facileq; cum obviis quibuscunq; pro vacuitate pororum arte commiscetur, ut unum cum iis corpus constituat, adeoq; hoc pacto inter potulenta locum obtinere evidens satis sit.

§. VII.

Quodsi in reliquis viventium speciebus analogiam spectes, reperies aquam ipsis largiri potum alimentosum, convenientissimum. Sive enim vegetabilia respicias, quæ quidem nec edere nec bibere, sed tantum nutriri dicuntur, certissimum est, ex solo terræ liquore aqueo, pro textura ipsius plantæ modificato, nutrimentum eorum consistere; Sic succus in vite diversi saporis pro maturationis modulo aqua est alterata seu modificata, ut liquor lacteus in esula, croceus in chelidonio majore &c. E contra plantæ in locis aridis & exsiccis nullo liquore irroratæ vel refertæ celerime substracto nutrimento emoriuntur. Si vero animalia spectes gressilia, natatilia & volatilia, in sectis ne quidem exceptis, singula ex aquæ potu copiosiori vel parciore vivunt prout calor illa inhabitans illud exegerit parcius l. copiosius.

§. VIII.

An vero & homini eadem præberi debeat, dubium videri poterat, ut hinc poëta non dubitaverit dicere:

*Vina bibant homines, animantia cætera fontes;
Absit ab humano pectore potus aqua.*

Ratio quoq; dubitandi præsto est; Etenim sapientissimus omnium conditor nec vino humano generi prospexisset, nec deinceps Zythopœiæ inventum laudatissimum nobis concessisset, si totam aquam sufficere nobis voluisset. Nec est

est ut antediluvianos in medium adducamus, qui aqueo potu contenti unice dediti fuisse vulgo dicuntur, cum factodemum diluvio Noah vini effectus in semet ipso expertus primus fuerit; Quare non tam ad simpliciter, sed bene esse, divinum numen has vini cerevisiæq; delicias mortalibus indulgisse videri potest. Imo & antiquorum elogio canis illorum temporibus aquam non ultimum inter potulenta occupasse locum probatur, maxime Pindaro testante
ἄριστον μὲν ὕδωρ. Aqua vero optimum scil. potulentum.

§. IX.

Tantum vero non facile quisquam detrahet gulæ, ut credat & persuasum habeat gustum aquæ præ vino & cerevisia nobili, clara & defæcata, meliorem esse, quin potius reliquis potuum generibus primas facile tribuet. Quæritur ergo non immerito, an si dictorum libera concedatur copia, hæc potius præ illis sit in potum, eumq; ordinarium, feligenda? Affirmativam defendit celeberrimus *Waldschmidius*, qui *Instit. suarum medic. ration.* L. IV. c. 9. primum aquæ vendicans locum & prærogativam, tum antiquitatis, tum salubritatis jure, eandem & potum medicum nuncupat. Hinc & alii in acutis aliisq; morbis cerevisiam vel vinum reformidantes aquæ potum ceu victum tenuem illis summis laudibus substituunt.

§. X.

Sed cum facile in commendandis aquis modum excedant auctores, opus est inquirere in aquam ipsam, & ipsius notare differentias. Ut ergo primo saporis rationem habeamus, datur vel *dulcis*, vel insipida, quæ nullius rei sapore notabili prædita est, mixtorum salium, & molecularum sulphurearum expers, saltim quoad eminentiam, purior & magis sui juris, adeoq; laudabilior ad potum respectu aliarum magis accipienda; vel *salsa*, eaq; vel ad acidum inclinans, partici-

participans potissimum de vitriolo, alumine, aut aliis mineralibus, quales sunt acidulæ passim notæ, vel ex alcalinorum classe, ut amaræ haud potui utiles, quarum exemplum præbent aquæ Marah, Exod. XV, 23. vel censu mediorum, stricto nomine dictorum, ut marina, gravior, cui ovum, quod in dulci fundum petit, innatat, potentia siccans ob admixtum Sal copiosum, vellicando & siccando sitim augens, adeoq; per se minus potui apta.

§. XI.

Differunt hinc ratione ortus, & sunt vel *caelestes*, tum *pluviales*, ex nubibus a vaporibus condensatis delapsæ, variisq; particulis mixtæ, quandoquidem vapores, e quibus fiunt, adeo non sunt puri, quod sapor & ponderositas earum demonstrat, unde minus sunt potui aptæ, tum & *rorales*, ut ros majalis tenuiorum partium multiq; usus & non contemnendi ad medicamentorum variorum præparaciones. Vel porro *terrestres* sunt, exq; vel ex profundo hauriendæ, ex fontium & puteorum venis profundioribus manantes, vel superficiei magis incumbentes in fluviis, ac rivis majoribus minoribusq;. In illarum autem scaturiginibus notandum, an in locis sublimibus, petris aut montibus, locis arenosis & sabulosis, an contra in vallibus locisq; depressis, limosis, paludosis proveniant, an in vicina fodinarum? Ut enim arenosâ ac lapidosa terræ fracta non nisi purissimam, limpidissimam transmittunt, sic intra valles profundius ortæ impuritates copiosiores secum vehunt, seorsim vero qualitates mineralium & metallorum adjunctæ effectu sese satis produunt.

§. XII.

Nec levem ipse *locus* parit differentiam, ut enim sublimis & vallosus multum discriminis pariunt, sic & quoad quatuor plagas mundi orientem seligunt, & fontes versus solis ortum scaturientes cæteris præstare, adeoq; puritate sese
 commen-



commendare volunt; septentrionales aliis omnibus frigidiores esse, ideoq; potui vix idoneos. *Conf. Cass. Barbolini Systema phys. L. II. c. 13. p. 155. 156.* Ut nihil de illa dicamus, quæ exsudans ex arboribus vel totis Insulis sufficientem liquorem præbereprehenditur.

§. XIII.

Sic quoq; motus multum confert, ut hinc fluviales aquæ, præsertim si moderato motu gaudeant, reliquis puriores & salubriores credantur, contra vero quæ ex stagnis & lacubus petuntur, motus expertes damnosæ & noxiæ magis habeantur; illæ demum, qui rapidissimo gaudent, plurima diversissimi generis peregrina in transitu secum rapiunt & vehunt. Motus etenim sicuti blandus vivificat & renovat quasi flumen, sic denegatus plane tetrico putidoque odore ac sapore inficit, ut Poëta hinc optime:

Et capiunt vitium, ni moveantur aquæ.

Si quoq; rapidior & fortior, omnia confundit inter se & inconvenienter miscet.

§. XIV.

Tandem *temporis* habenda quoq; ratio, imprimis vero æstatis & hyemis, illius æstivæ scil. aquæ magis conducere creditur potus cum moderamine sumtus, hyemalis vero alia plane est conditio, pessimæ vero sunt illæ, quæ ex nive vel glacie solutis eliciuntur, cum secundum doctorum opinionem ad pristinum statum amplius reduci nequeant. Tonitru vero commotæ aut cum nimbis & tempestatibus cadentes merito damnantur.

§. XV.

Præter hæc consideranda nobis veniunt varia adjuncta atq; præsertim *calor & frigus*; ille aliquibus natus inest, ut in thermis, quas tamen in potum nemo facile ver-

B

tet

aut aliis mi-
el ex alcali-
m exemplum
mediorum
lovum, quod
ns ob admix-
tium augens,

et vel calidior
sensatis dele-
vapores, &
& pondus
ai aptæ, tum
ultiq; usus
um præpa-
profundo
ndioribus
n fluvii
em scatu-
betris aut
in vallibus
an in vicin-
teræ stru-
untur, sic
ores secum
metallorum

t enim subli-
& quoad qua-
s versus solis
aritate sese
commen-



ret, cum in usu externo acquiescere soleamus, de harum vero utilitate & præstantia vid. Illustris D. D. *Wedelius Senior* P. P. O. Jenensis, Præceptor olim meus omni honoris cultu venerandus, Dissertatione de thermis 1695, habita. Aliquibus autem est adscititius, gradu vel majori, fervens, nullius ad corpus animatum usus, vel minori, tepida, quæ a vulgo toto die infantibus tum vehiculi, tum ipsius remedii loco præbetur. Frigus magis nativum adhuc est aquis, præsertim fontanis, quæ tempore æstivo calidiore dulce refrigerium præbere, & hinc a magnatibus ad vina calidiora & fortiora refrigeranda adhiberi solent; hyberno autem moderatiores sunt, frigore in superficie existente, & intra terræ poros exhalationes concentrante.

§. XVI.

Desuper notari quoq; meretur *gravitas & levitas* aquarum, e quarum indiciiis summus Hippocrates optimum judicium de iis tulit, non vero quoad stateræ pondus illas examinans, licet quo ponderosiores sint, tanto copiosiora peregrina admixta secum vehant. Laudat vero divus Hipp. *Sett. V. aph. 26.* aquam levissimam, ceu optimam, & intelligit talem, quæ cito refrigeratur & cito incalescit: quæcunq; enim ita alteratur, indicat habere poros puriores & apertos magis, quibus minus alieni quid inhæreat, & consequenter in corpus assumpta cursu magis obsequente ad terminum facilius pertingat, ut hinc in hypochondriis obstructiones nullas pariat, nec viscera gravet. Hinc qui probare aquam satagunt, ad culinarem focum id agunt, facto experimento in carnibus, piscibus & leguminibus elixandis, quæ si facile & cito inde emolliantur, de salubritate & levitate illarum tanto minus dubitant. Quo referas quoq; certissimam æstimationis aquarum rationem, nimirum incolarum illius regionis salubritatem constantem florentemqve.

§. XVII.

§. XVII.

Perspectis igitur differentiis aquarum, paucis nunc qualitates earum scrutari convenit, quibus corpus humanum afficere solent, ex quarum consideratione utilitas & noxa sponte fluit, itemq; commendationis & vituperii ratio. Est vero qualitas illarum, quam maxime exerunt, *frigus*, quod si ad corpus applicare velis, mediocre sit oportet, quia omne sensibile excellens lædere solet. Spectat vero huc non solum aqua actu frigida, sed etiam tepida & egelida, saltim non concitando majorem caloris gradum, potentia eundem imminuens. Hinc ubicunq; calor furens & efferatus totius microcosmi minitans incendium sui mitigationem postulat, simulq; refrigerationem, hanc aqua mediante omnium optime obtinemus.

§. XVIII.

Altera, qua aquæ præditæ deprehenduntur, qualitas, est *humiditas & fluiditas*, unde per legitimam consequentiam colligitur, usum illarum in diluendo non mediocrem, sed longe maximum esse, quod patet per mechanicam, dum murarii calcem aut terram limosam pro struendis ædificiis aqua affusa in usum commode temperant. Hinc & in corpore, sive a copiosa salium præsentia humores incrassentur vitales, & ad motum inhabiles reddantur, sive a recremento terreo glutinoso tartareo, sive mucò & lentore, saburra Helmontio, dicto, obductis vasorum parietibus oscula obturentur & obstruantur, mediante liquore tenui aqueo & fluxili resolutio commode obtinetur.

§. XIX.

Ex eadem quoque qualitate fluit *facultas humectandi*, quæ quibuscunq; liquoribus cum aqua communis solet esse & inseparabilis, siquidem omnia humida actu suo



humeſtant, poros corporum prompte ſubeundo. Licet nonnulla, dum actu humeſtant, potentia & a poſteriori exſiccant, ad quem cenſum aqua calcis vivæ pertinet. Ubi igitur excedens ſiccitas, expulſa & deficiente humiditate, debita, aſpritudinem viarum inducit, ſuiq; correſtionem poſtulat, aqueorum uſus non improbandus eſt. Qua ſuper re modo laudatus illuſtris Wedelius videatur in Theoria ſaporum.

§. XX.

Ut vero nec idem medicamentum, ita nec idem alimentū omnibus æque prodeſt, ſic & aqua iis quidem conveniet ex æquo, quibus refrigeratione, reſolutione & humeſtatione opus eſt, longe vero ſequius in aliis. Quoad *Objeſtum* ergo, ſi *temperamenta* conſideres, & conſequenter corporis fluida, in ſangvineis, ubi calorem temperat humiditas ad blandiorem motū, aquæ additamento vix opus eſt, ne humidum excedat; in Cholericis vero, ubi cum ſiccitate calor combinatur, potior illius uſus erit, qui freni loco exaſtuationem, quæ facile hoc ſtatu accidit, reſimit, & temperiem priſtinam reſtituit. In melancholicis frigus cum ſiccitate contrarium indicat; minime tamen omnium convenit phlegmaticis, ubi præſente jam frigido & humido ex aquæ acceſſione fit exceſſus vitioſus, nimia fluidorum diſſolutio & aquoſa inertia. Si autem partes conſideres ſolidas, eaſq; ſecundum ſtriſtum & laxum earum ſtatum, liquido patet, ſtriſtum a frigore aquæ intenſiori magis quidem intendi, uti ventriculus ab aqua moderate frigida, tempore æſtatis, magis etiam roboratur quam a tepida, ſed ab aqua qua tali amiſſo frigore potius relaxari. Laxum vero illarum ſtatum ultra modum ſemper ab aqua magis relaxari, donec fibræ vim omnem tonicam ſive contractilem, qua naturaliter gaudent, proſus amittant & flaccideſcant, quale quid ab aquæ uſu cachecticis & hydropicis accidere ſolet.

§. XXI.

§. XXI.

Si *sexum respicias*, sequiorem, is ut in confesso est apud omnes, præ masculino seroior est, quare præsentē humorum & speciatim feri torpidioris ac frigidioris copia aquæ potiones non solum insalubres, sed & noxiæ videri possunt; unde & gravidis vel puerperis minus id potulenti genus præscribendum esse arbitramur, ne inde debiliores jam tum, fluidorum collectione graviora sibi contrahant mala & in fœtum innocentem derivent. Quantum vero ad mares attinet, iis utpote natura majori caloris gradu donatis idem potus genus tutius & commodius concedendum censemus, licet nunquam sine iudicio & ratione habita roboris fibrarum.

§. XXII.

Quod spectat *ætatem*, ex antiquorum scriptis notum est, Romanorum legibus cautum & sancitum fuisse, ne puer ante pubertatis annos vinum gustaret, adeoq; infantes omni calidiori potu inter dictos voluisse, verebantur enim ne spirituosioribus calor nimis intendatur, & lucula vitalis ante tempus consumpta citius extingveretur, vel talibus assueti in consistente deinceps ætate ex nimia ebrietate officiis civilibus subeundis inepti redderentur. In ætate media vero aut consistente, ubi integris magis viribus omnia in augmento & statu sunt satis valido calore existente, convenientior aquæ potus, parciore vini, videri poterat: verum in decrepita ætate, frigore calorem pessundante & vigore decrescente, pessime certe quis aquosum liquorem propinaverit, qui damnum irreparabile inferat necesse est, cuius loco potius generosiora & efficaciora sunt substituenda, ut Vinum, quod lac senum, propterea merito vocatur.

§. XXIII.

Alia vero res est, si quæras, quis potum aquæ com-

undo, Licet
& a posteriori
pertinet. Ubi
& humiditate,
confectionem
est. Qua si-
atur in Theoria

hec idem al-
videm conve-
& humecta
hæc sunt ergo
ris fluida, in
blandiore
m excedat;
ur, potior
facile hoc
rituit. In
dicat; mi-
bi præsentē
estus vitio-
Si autem
& laxum
aquæ in-
aqua mo-
atur quam
us relaxari.
er ab aqua
am five con-
ttant & flac-
hydropicis

§. XXI.



mode ferat, alia cui competat? quod si enim de consuetis sermo sit, scimus utiq; , consuetudinem alteram naturam esse, quam etsi furca expellas, tamen usq; recurret, imo periculosum est in illa subito quicquam mutare. Sic rustici aliq; pauperioris sortis homines, quibus res angusta domi, vini cerevisiæque potu non incommode carent, quoniam in prima jam ætate aquis assueti sunt, quam optime non tantum ferunt, sed & eandem hyeme non minus quam ætate appetunt, æque vegeti ac sustinendis durioribus laboribus magis pares quam alii, qui vini potu delectantur. Si quis vero ab his duriori vitæ generi deditis ad alios in pingvi otio viventes & cuticulam curantes concludere vellet, nã ille falleretur plurimum.

§. XXIV.

Visum hactenus qua ratione aqua profit, videamus nunc quoq; , qua ratione noceat; Medici Scholæ Salernitanæ c. 27. inquirunt:

*Potus aqua sumtus comedenti incommoda præstat,
Hinc friget stomachus, crudus est inde cibus.*

Duplex ergo inde damnum oritur, quorum primum est refrigeratio, cujus etsi superius laudatæ hic probe recordemur, excessum tamen ejus consideremus oportet, unde vitium dici meretur. Ut enim calor moderatus amicus est corpori & sanitatis indicium, sic eo solummodo frigoris gradu indigemus, qui intra suos limites cogat illum, adeoq; justam servet proportionem. Si vero frigoris potentia sit major, ut calorem blandum opprimat & enervet, vitæ periculum instat. Inesse vero aquæ refrigerandi potentiam quam maxime probat Galenus *Method. Med. L. VII. c. 6.* ut hinc in sano corpore, ubi temperies inter calidum & frigidum justa est observanda, liquoris talismodi in excessu refrigerantis additio frustranea & nociva sit.

§. XXV.

§. XXV.

Alterum, quod parit incommodum, est cruditas cibi, seu *chylicationis lesio*, ex qua ceu fecunda matre multa morborum genera redundant. Chylicatio enim inter actiones naturales nutritioni inservientes non ultimi est momenti, sed quasi primaria, quæ ex assumtis partes utiles ab illaudabilibus in succum lacteum dulcem, aqueo oleosum secernit, quem restaurando sanguini iterum impendit; proinde si lædatur & debilitetur, laudabiles cum illaudabilibus moleculis confusas, & sic peregrina non pauca in ipsam sanguinis massam transmittit, quibus mediantibus sanguinem & serum depravat, obstructions & plura alia gignit incommoda. Læditur autem digestio ab aquæ frigore, cum ad chyli secretionem calore leniter digerente s. motu intestino opus sit, quod in digestionem chymicam manifestum est: Chylosa vero materies sive in ventriculo sive in ipsis hæreat intestinis, si frigus accedat, figitur, calorq; qui extractioni inservit, supprimitur & concoctionis opus inceptum quidem, sed imperfectum relinquatur.

§. XXVI.

His adde, quod solutionem prompte juvent salia, quorum actio ex Chymicis jam idudum nota est, unde illorum additio in nonnullis operationibus solennis est, aqueus vero potus iis omnino caret, si bonitatis supra adductæ habere debeat requisita, hinc nec hac ratione juvat, sed potius rem ad debitum resolutionis gradum non deducit, diluendo nimis liquorem salivalem ventriculi. Adde quod aqua partibus suis organum concoctionis nimis relaxet, quod naturaliter virtute constrictiva gaudet, quapropter vinum aquæ merito præferendum censet *Curio in annotat. ad Schol. Salernit. p. 164.*

§. XXVII.

§. XXVII.

Nec obstat quod Illustr. Wedelius Theorem. P. IV. Sect. 2. aph. 80. aquam aliqua nutriendi facultate pollere dicat, tantum enim abest, ut crudam frigidamq; intelligat, ut potius medicatam & præparatam cum aliis indigiret. Imo quotidiana docet experientia advetos a teneris aquæ potationi & abstemios sæpe satis robustas monstrare corporis vires. Alias magis pro vehiculo habenda minus commodo minusq; nutriente, quoniam ipsi nihil oleosi nec chylosi inest, nihil potestate calidi, nihil substantiæ terreæ, nihil viscosi, unde tardiuscula sit oportet, mora sua visceribus nec minus eorumq; functionem facile impediens; proinde parca erit nutritiva facultas aquæ, licet aliqualem ob restitutam ab illa lympham denegare ipsi penitus nolimus.

§. XXVIII.

Avide ingesta, eaq; nimis algida visceribus ventriculo vicinis, lieni & hepatis facile noxam infert, obstruendo partim canales capillares sangviferos, partim bilarios immodico suo frigore; partim etiam alterando bilis crasin, ut viscidior vasa minora oppleat, & tandem ex oppilatione & specie coacervationis lymphæ ultra modum in lymphaticis vasibus colligatur; unde hydrops in aquæ potationibus non semel a Practicis notatus legitur. Et referente Avicenna, ex aqua frigida, quæ jejuno stomacho aut illico post balneum vel coitum bibitur bonæ temperaturæ corruptio (cachexiam intelligit) & hydrops timenda sunt.

§. XXIX.

Hippocrates Sect. V. aphor. 17. plane convulsiones & tetanos inde oriri refert; nimirum nervis, qui sunt cerebri propagationes per universum corpus dispersæ, nihil magis insensius est frigore, quæ propter in vulneribus nervorum aut in ipsorum

rum vicinia factis ambientis frigidi aeris contactus sedulo arcendus est; cujus damnum si capiant plurimum partium externarum nervi, longe majori gradu afficientur viscerum nervi interiores, subortis nempe vellicationibus & contractionibus molestissimis ad sensum rei prorsus insolitæ; Præterea nec immerito verendum, ne ab aqua alicubi retenta & stagnante frigida nervorum textura intime adeo alteretur, ut fluidum nerveum per illorum tubulos non amplius transeat, sed intercipiatur, unde diverfarum partium paralysis, cum sensus & motus abolitione.

§. XXX.

Febribus frequentissimam ansam dedisse aquam frigidorem in copia haustam, corpore præsertim calente, aut plane calore æstuante, res multiplici experientia dudum est confirmata. Etenim uti potior febrium plerarumq; ratio vel in intercepto sanguinis circuitu, vel notabili secretionis alicujus naturalis suppressione, consistere videtur, ita nihil verosimilius, quam aliquid illorum ab aqua frigidiori, a lacte ebutyrato, aliisque refrigerantibus immodice & improvide assumtis, quam sæpissime evenisse. Unde omnis generis febres intermittentes, quin & acutas passim cum angina, pleuritide aliarumq; partium affectionibus conjunctas descriptas legas apud Practicos, qualia exempla suppeditat, Amat. Lusitanus Curation. Medicin. Cen. II. Curat. 62. Imo nec desunt, qui ex haustu tali intemperanter frigido assumpto Polypum Cordis natum tradunt, affectum a priori vix certis quibusdam signis cognoscendum, cognitum v. a posteriori fere incurabilem.

§. XXXI.

Pulmones viscus tenerum & vesiculosum aëre distentum, ut caloris ita & frigoris excessum vix fert innoxie, unde ab hujus admissione improvida tusis cum vellicatione

C

ne

ne & concussione thoracem quatit, vellēcatis nimirum tunicis nerveis, quare circa solstitia mutatione solenni tempestatē facta tussi communiter conflētantur homines, imprimis, qui aēris liberi commercium evitare haud possunt. Sic & inflammationem pectoris ab inconsiderata tali admissione ambientis lethalem notavit Heurnius Comment. in Hippocr. Aphor. Sect. V. aph. 24. & paulo post inquit, populos qui nive & glacie utuntur, & hinc deterioris aquae potui indulgent, gutturosos esse & catarrhis affatim affigi; Et inter Helvetios ex aquis tartareis glandulas in collo obstructibus scrophulæ frequenter observantur.

§. XXXII.

Præter hepatis & Lienis labem superius recensitam nec immūnia ab omni periculo & morbo judicanda veniunt adhuc intestina; Uti enim vitium primæ concoctionis non corrigitur in secunda, ita læsa chylicatione ex cruditate nimia tale malum ad intestina transit, unde Colicæ variaz species, flatulenta, spasmodica, biliosa &c. facile dantur, quibus vix aut ne vix medicina parabitur, nisi respectus habeatur ventriculi & causæ intestina per ventriculum offendentis. Quare citra rationem omnem nobis agere videntur, quotquot tenellis infantibus lacte materno unice viventibus potum frigidum impune concedere velint, quum ab insuetis pro ætatis illius ratione natura quam maxime abhorreat, & exinde misellos, infantes variis morbis, obnoxios reddat.

§. XXXIII.

Exinde vero patet hujus potulenti genus magis nocere quam prodesse, adeoque minus potus medici mereri nomen, id quod & fautores illius concedere nobis haud obscure indignant, dum istius correctionem varia ratione querunt, ut enim rudiores modos taceamus, quando per subsidentiam aut quoque filtrationem heterogeneas commixtas

tas partes ab eo separare, aut per destillationem vel coctionem illius purificationem obtinere student, quibus operosis correctionibus inutiles illas intime commixtas molecularas pro operantium voto vix eliminari possunt, nihilominus aqua naturam suam, quæ in frigido ac fluido consistit, haud exuit, adeoq; parum per dicta proficitur.

§. XXXIV.

Movet hoc alios prudentiores, ut variorum additione potulento aqueo & hinc ejus assumptioni consulere tentaverint, quapropter, ut refrigerandi nimiam qualitatem moderarentur, calida addiderunt, quæ simul cum isto decocta calefaciendi facultatem ipsi communicarent, & hoc modo noxam inde verendam averterent. Decoquunt hunc in finem stomachica & carminativa varia, imprimis, cinamom. Nuc M. cardam. mac. sem. anis. fœnic. &c. in aquæ convenienti copia, quam postmodum filtratam & refrigeratam, ut gustui gratificentur, saccharo copiose edulcatam in potum offerunt, rati, ut per illam concoctio ipsa faciliter adjuto calore ventriculi, ipsiq; crassiores spiritus a frigido humore alioquin promte oriundi, aut in prima herba suffocentur, aut porta data eliminentur.

§. XXXV.

Verum ut saccharum hic adjectum silentio prætereamus, quod, ut notissimum est, non parum incomodi largius sumtū in corpore producere solet, dum in hypochondriacis acescere in cholericis vero bilescere facillime apprehenditur, indeq; potius consulte omittendum; tantū illud asterisco notabimus, quod modo dictorum aromatū maxima vis & efficacia in sale quodam volatili oleoso consistat, quod per chymiam copiosius inde prolucitur, ipsaq; olea eorū destillata ætherea propter subtilitatem vocantur, quæ non probe custodita eam in auras exhalant, relicto corpore crassiori, viscido resinoso cum priori vix comparando. Igitur cum coctionem in vase vel aperto vel obiter tantum tecto, ut solent, celebrant, hæc aromatum optima pars avolat, & parum efficaciz decocto relinquitur.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Interim decoctis cum aqua paratis, imprimis illis pugillaribus, virtutes suas haud denegabimus, quæ usu satis noto in medica praxi se commendarunt, inter quæ & potus theæ occurrit, qui hodie adeo frequens est, ut omnis fere conditionis homines illo passim utantur, licet plus sapius abusum illius feri nimia copia, cum appetitu prostrato insequente, cachexia & hydrops comitari soleant, præsertim in iis, qui infuso nimis diluto & aquoso delectantur. Ut enim ipsa herba Thea ex peregrinis oris allata laudem suam tuetur inter alterantia, & quidem tonica, ita hyperbolicis laudibus efficacia ejus ab authoribus præsertim potui huic addictis plus justo extollitur, plerisque enim solenne est, ut quod ipsis arriserit, aliis pariter commendent.

§. XXXVII.

Tandem ut, quid nobis de seligendo aut rejiciendo hoc potu videatur, generatim hic subjiciamus, propter recensita illius incommoda vix satis corrigibilia ab illo non quidem penitus, sed aliquatenus, abstinendum esse censemus, extantibus præsertim aliis potionibus nobilioribus & gratioribus; Et ea quidem conditione, ut i. consuetis appetentibus illum concedamus quamlibentissime; etenim uti ex more solito mutare temere aliquid periculosum, ita & ubivis appetitui aliquid dandum esse prudentiores præcipiunt. De abstermiis autem, vel egenis nullo modo hic loquimur, sed de iis, quibus, qualem potum adhibeant, liberum est arbitrium, quos certe confidimus nobiscum præ frigido & minus efficaci potulento aqveo vini vel cerevisiæ nobilioris usû probaturos, quæ quantum emolumenti corporibus nostris debita ratione adhibita largiantur, enumerare propositi nostri non est, qui tantum circa aquam fuimus hoc loco occupati, cujus considerationi etiam huc imponimus

F I N E M.



01 A 6505

7


ULB Halle 3
002 937 298


nur 10. Stck 7A-70C
bücher verknüpft

V.D.R. V.D.R.







Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

D. B. P.

27.

AUGURALIS MEDICA
DE

AQUÆ BRI ET XIO,

QUAM
REGIA VIADRINA
GRATIOSISSIMÆ
TIS MEDICÆ
ESIDE

RGIO à BERGEN,

ore & P. P. Ord.
TIS MEDICÆ DECANO
pectabili

LICENTIA

ca Honores & Privilegia Do-
legitime consequendi
um disquisitioni exponit
THOR.

ASPAR Gemeinhardt.

ib. Hexap.
pril. Anno M DCC XVIII.

teris TOBLÆ SCHWARTZII.